& ita in vigesimum primum diem pervenit terminus Criticus; quarta quadratura absolvitur die vigesimo septimo, & octavâ horâ. Verùm posito, naturam instituere Crisin, & ☽m facere tempora, tamen cùm pro circumstantiarum varietate & motus naturæ variet, variique Adspectus & varia subjecta sint, ideò fit, ut non necessariò, nec semper præcisè dictis diebus, sed modò citiùs, modò tardiùs contingant. Videatur de his *PLEMPIUS & SANCTORIUS SANCTORII* (qui unus ex Italis Veteribus, & laudem meretur) *in Commentar. in Aphorism. Hippocratis* 20. item *Methodo Vitandor. Errorum in Medic. p.* 833. *PANAROLLUS Pent.* 3. *Observat.* 39. observat Crises factas salutares sexto & octavo die, qui tamen ♂ apud Veteres semper pessimi in Crisi audiuntur; sextus enim & octavus ♂ Interfectorum dicitur.

Nostrum quod attinet Clima, rariùs apud nos, & in Climatibus frigidis, contingunt Crises, secus ac in China, aliisquè calidioribus regionibus, ubi ♎ tenuis, Victus salubrior, Temperatura calidior, Corpora magis perspirabilia, & non rarò Febres peracutæ grassant, quæ circumstantiæ apud nos deficiunt. Aër enim noster est crassior, frigidior, corpora nostra solidiora victu crassiori utentia, frequentiùs labe scorbuticâ & Acido hypochondriaco infecta, sanguine minus turgescente prædita, in Climate minus fervido ineptiora sunt, ut Criticas subeant Alterationes: quod etiam ostendit *LOWERUS in Dissert. contra Mearam, & VELSCHIUS Observ. & Curat. dec.* 10. ubi & ratione & pluribus exemplis, edocet, Criseas nō semper adeò statos observare ♂, quin propter motū ☽ævariantem sæpiùs octavus fiat Criticus. Unde sæpiùs evenit, ut subinde negligatur Crisis, partim quia juxta *HELMONTIUM* bonus Medicus eam nititur prævenire, easque medicamentis laudabilibus præcavere, quod verū est, partim quia ipsi ♂ min9 certi existunt, cùm & extrà septenarios, ut jam dixi, subinde Crises laudabiles eveniāt. Si enim Crisin Medicus expectat, naturæ ægro totum onus bajulandum incumbit, Medico tantùm spectatorem agente, qui tamen naturæ sit potius minister, eamquè adjuvet: quod facit, dum Absorbentibus seu Præcipitantibus opus Coctionis promovet, & blandis diaphoreticis & aliis modis cocta sensim foras eliminat; sic enim vix expectato Criseos termino actum erit de Morbo; imò tam necessariæ non sunt, ut adeò strictè illis sit inhærendum, aut nimis anxiè illæ sint expectandæ. Signa Crisium imminentium Sufficienter & accuratè satis descripsit *MOEBIUS in Institutionibus.* Habet aliàs Annus Climactericus quasi aliquid Criticum, per septenarios recurrens, ut Crisis magna ob id aliquo modo vocari possit, de quibus ex professo scripsit *Tractatum Clarissimus SALMASIUS.*

Tantum de PATHOLOGIA. *Sequitur*

INSTITUTIONUM MEDICARUM PARS III.

HYGIENA & THERAPEVTICA.

PRÆCEPTORUM HYGIENES CAPUT UNICUM

DE RATIONE CONSERVANDI SANITATEM.

Primaria Artis Medicæ Pars est ea, quæ media tractat, quibus aut firma conservari, aut labefactata tamen restitui valet Sanitas: Illud *Hygiena*, Hæc *Therapevsis* dicitur. Res enim suprà dictæ non-naturales, cùm ex se indifferentes sint ad sanitatem & morbum, earum legitimum usum ad sanitatem conservandam & infirmitatem præservandam, *Diæta* appellatum, tàm ingenere pro quibuscunque hominibus, quàm in specie pro unaquaque determinata ætate, sexu, vitæ genere, &c. docet Hygienas, cujus generaliores regulas cum respectu ad differentes ætates hîc adnectere, & quomodo diæta sanis ordinanda? monstrare jam placet.

Fundamentum Generale legitimæ Diætæ pro Sanitate conservanda, seu legitimum regimen rerum 6. non-naturalium, subministrat *Celsus, J.C. Romanus, de Re Medica l.*1.*c.*1. dicens: *Sanus homo, qui & benè valet, & simul suæ spontis est, nullis se obligare legibus debet, ac neque Medico, neque Jatrolepto egere*; hoc est, nullis strictis Diætes regulis se alliget, sed libertate suâ utatur; *aliàs Medicè Vivere, esset pessimè vivere.* Cùm verò juxta *HIPPOCRATEM in Aphorism. Sect.*2. *Aphor.*4. & 50. *Epidem.* 6. *Sect.* 2. *F.*26. item *l. de Natura humana Sect.*26. §.2. *GALENUM l. peculiar. de Consuet. PROSPERUM MARTIANUM in Hippocratem de Aphorism. t.* 38. *VALERIOLAM Locorum Commun. l.*1. *cap.*6. & *HOFFMANNUM Institut. l.*5. *c.*50. Consuetudinis sit maxima vis in Valetudine cōservanda, morbisque curandis, ut & in aliam naturam transmutandi efficacia, hujus dictamen in 6. rerum non-naturarium usu seu Diæta imprimis est audiendum, ita ut si quis velit consuetudinem mutare, non sine corporis læsione fiat. Est enim *Consuetudo* juxta *HEURNIUM Vis quadam adscititia* qua *aliquid agere aut pati in offensa natura licet*, ita *quidem, ut* ad *eam inducendam crebra & frequens requiratur unius passio & actio*, donec hæc in consuetudinem, & hinc ex consuetudine velut in naturam abeat: unde consuetudo est altera natura, & *Consueta, licet deteriora, Insuetis sunt salubriora.*

Obviæ sunt consuetudinis potentiæ præprimis in 6. rerum non-naturalium usu, de quibus suprà in Patholog. cap. 35. sufficienter dixi: insimul, tamen & aliæ plures circumstantiæ sunt, corpori quidem nostro indifferentes, nisi per consuetudinem magis magisque determinarentur. Sic superioris nostræ Germaniæ incolæ culcitris mollioribus in dormientes, Italiæ, Galliæ & Bataviæ lectos duriores ægrè ferunt; contrà Galli, Batavi, &c. his assueti, plumeas nostras respuunt culcitras. Quo pertinet etiam, quod *SALMUTH* de tritore quodam refert, quem febre correptum herus ipsius misertus in lectum reponi curaverat, ille verò in hoc noctes insomnes agens, & in ♂ pejus habens, ab Adstantibus petiit, ut in ☷m super stramen collocaretur: quo factò suavissimè dormivit, & aliis adhibitis brevi convaluit. Pariter ipsa decubitus ratio consuetudini multum debet, per quam nonnulli, nisi supini, alii non, nisi proni, alii in latus dextrum, alii capite magis erecto, alii decliviori, dormiunt. Ejusdem conditionis est ille corporis ejusque partium situs, quem nonnulli Vigilantes per consuetudinem, interdum satis malum asservant, incedentes ore aperto, pedibus intortis, cervice ad latus alterutrum inclinant, &c. imò dari possent infinita exempla Actionum naturalium, quas sola Consuetudo immutasse aut determinasse videtur.

Sed peculiaris generis sunt Evacuationes Medicæ, v. g. Purgatio, Venæ sectio, scarificatio, &c. quas itidem, qui temporibus certis aliquoties

ties admiserunt, denuò repetere nonnulli coguntur, ita ut si illas negligant aut paulò saltem differant, non solùm pejus se habeant, sed circa venæ sectæ & scarificationis v.g. locum, pruritum seu stimulum quendam sentiant; econtrà ex adhibita penitus insueta venæsectione periculum vitæ præsentissimum Virgini nobili supervenisse, *HIPPOLYTUS GUARINONIUS notavit.l.5.c.* 36. ita ut eorum respectu non facilè ad ejusmodi Evacuationes insolitas aliquis incitandus sit.

Sicuti autem omnia hæc Consuetudo non ut causa aliqua proxima, sed ut remota, tantùm præstat, ita nunc inquirendum erit, qua ratione consuetudo corpus nostrum immediatè magis afficiat? Respondeo cum *WILLISIO*, animales, scientiæ omnis & directionis propriæ expertes, ab Objectis externis & circumstantiis, item ab arbitrio seu voluntate, ad hoc aut illud agendum determinari; unde animales, quâ viâ semel ducuntur, magis impediti vestigia anteà tracta adamussim repetere, & naturâ, idem agere, quod prius egit, donec novum edocta sit œconomiæ modum.

Specialius verò conservandæ Sanitatis Medium docet *HIPPOCRATES* aureo *Aphorismo, inquiens, Sanitatis studium est, non satiari cibis, & impigrum esse ad labores:* nam quamplurimæ turbæ oriuntur ex vitiata digestione, & vitiatis retentis seu excrementis. Confirmant hoc Mechanici, qui sub laboribus & motu vegeti & sani existunt. Morbos verò præcavendi rationem idem subministrat, dum docet; *Quiete & Abstinentia multos magnos morbos curari.* His duobus enim omnes morborum causæ sponte removentur; hinc rectè *sobrietas ab HELMONTIO totius diætæ cardo* vocatur.

Ætatibus quo magis minusque congrui sunt quidam morbi etiam horum exactam rationem habendam suadet *HIPPOCRATES Ætas* autem hoc loco non sumitur pro mensura temporis integri vitæ, nec pro spatio seu parte vitæ humanæ quacunque, sed pro illo vitæ spatio, quo in partibus & functionibus corporis immutatio manifesta contingit, & quidem à causis intrinsecis & naturalibus.

Immutantur autem per successivam ætatum continuationem nunc partes omnes corporis, nunc genitales saltem: Illarum respectu corpus totum crescit, & solidius atque robustius evadit; Harum verò ratione Genitura elaboratur, menses fluunt, fœtus concipitur, &c.

Ætatum humanarum ab aliis plures, ab aliis pauciores enumerantur, v.g. ab *ARISTOTELE* tres, *Crescens, Consistens, & Decrescens*; *FERNELIO* 5, *Adolescentia, Juventus, Virilitas, Senectus, & Ætas decrepita*; ab aliis, qui Adolescentiam in Infantiam, Pueritiam, Pubertatem, & Adolescentiam strictè subdividunt, 8. numeratur: quæ tamen vitæ tempora non adeò generaliter per annorum terminos circumscribi possunt, sed in aliis anticipant, in aliis postponunt, tàm propter causas quasdam externas, quàm internas; quarum hæ tamen si naturales fuerint, hoc loco magis attendendæ, uti suprà dictum. Ita v.g. ossium & ligamentorum firmitas in nonnullis mox post primum annum major observatur, quàm in aliis infantibus, trium v.g. annorum; sicuti menses non rarò prorumpunt in puella 12. annorum, quæ aliàs in virgine intra decimum quintum aut decimum sextum annum vix fluunt.

Sicut autem vita nostra nihil aliud, quàm via ad mortem est, ille nempe motus sanguinis intestinus, qui corpus conservat, & in quo vitæ formalitatem consistere, in *Physiologia suprà dixi*, corpus nostrum continuò atterit, adeò ut non absurdè à quibusdam vitæ corporis dispendium, & successiva quasi mors proclamata fuerit; ita cum *HIPPOCRATE* & *ARISTOTELE* & HOFFMANNO trinarium potiùs ætatum numerum comprehendam, Infantiam nempe, quæ usque ad tempus illud extendi potest, quo dentes primi denuo excidunt; ubi pueritia incipit, prolonganda usque ad pubis & lanuginis eruptionem, quæ decimo quarto vel decimo quinto anno contingit: excipit hanc Ætas consistens, quæ Adolescentiam comprehendit, usque ad tertium præter propter septennium, & Virilitatem, si nempe reliquum tempus per 2. septennia durat: sequitur hanc Ætas decrescens in senectute.

Quæritur aliàs ab Institutionistis, an Infantes seu pueri, an juvenes, aut viri consistentis ætatis, calidiores sint? Quod quidem à *SENNERTO Institut. pag.*31 & *PLEMPIO Fundament. Medic. l.*2. *Sect.*2. *cap.*8. decisum videbitis. Verùm, quia præter sanguinem hujusque motum Calidum quoddam substantificum præsupponunt, hincque pueros calidiores dicunt, explicatio hæc modernorum hypothesibus minus congrua est. Rectiùs ergò dicunt, quod propter motum illum sanguinis in pueris admodum exiguum, qui pro annorum decursu usque ad ἀκμὴν intenditur, ejus effectus seu individuus comes, calor nempe vitalis, robustior sit in Adolescentibus & viris, quàm pueris & infantibus. Nec obstat *Aphorismus HIPOCRATIS* 13. & 14. *Sect.*1. quod pueri, & qui augentur, plurimum calidi innati habeant, unde copiosiori alimento opus habeãt, quàm provectioris ætatis homines; Copiosioris enim in pueris nutritionis necessitas & ratio non in ficto illo veterum Calido innato, sed partium solidarum substantia fibrosa cõsistit, quæ mollior adhuc & valde extensilis plus nutrimẽti requirit & recipit, antequam corpus ad debitã molem proveniat, & omnes actiones perfectè edat. Nutrimentum enim poris illorum jamdum impactum & agglutinatũ, cũ minus spissum sit, propter motum sanguinis lentum & blãdiorem facilius deraditur, unde corpus, nisi continua quasi illius substantiæ Appositio fiat, fit mox flaccidũ, quod patet in Anorexia, aut levissima saltem eorum Evacuatione, qua corpora eorum tenella notabiliter marcescunt, citiùs tamen ad pristinam carnositatem redeunt, quàm ii, quorum membra jam sunt solidiora aut duriora. Nisi enim stamina partium solidarum in pueris chylo recenti semper irrorentur, sed sanguis eo destitutus illa alluat hinc nutrimentũ eorum adhuc roridum, & consistentiâ debitâ carens, mox abstergit & resorbet, hocq; resolvit, & vel per insensibilem transpirationem, vel per alia loca sensibiliter, evacuat; præprimis si fermentatio illius per febriculam aliquã intensior reddatur: econtrà simul ac ferè alimenta denuò appetunt & digerunt, in uberius mox nutrimentum fibris illis cedunt, adeoque motu sanguinis blandiore jam existente, aut post morbum reddito, succulentiam perditam magis reparant, & facilè restituunt.

In specie igitur pro Ætatum diversitate, & inde dependentibus aliis circumstantiis, ad cõservandam sanitatem diæta ita ordinanda, ut vigor vitalis per legitimũ usum rerum non-naturalium conservetur, morbi verò congrui, seu qui unicuique ætati magis familiares sunt, ejusque causæ, maturè avertantur, & hinc remedia diætetica vel permittentia vel prohibentia sunt. Verùm enim est illud *HIPPOCRATIS Sect.* 2. *Aphor.*10. *Corpora impura quo magis nutriveris, eò magis laseris.* Vires siquidem

uti

uti assumptis conservandæ, ita hisce nec morbus, nec causa ejus augmentanda sunt. Impura autem dicuntur corpora vel *causaliter*, vel *effectivè*: Priori modo dicitur corpus impurum, quod vitio fermenti digestivi alimenta in primis viis pervertit, ut contenta dein in crasin præternaturalem degenerent; posteriori, cujus contenta jam corrupta sunt ita, ut optimus etiam chylus plus minus corrumpatur & inquinetur, fermentatio perturbetur, sicque dyscrasiæ contentorum augmententur. Utroque sensu verus est Aphorismus.

Ut itaque ritè administrentur remedia diætetica, considerandum, utrum morbus acutus, an Chronicus sit? Iste, quoniam brevior, & gravioribus symptomatibus stipatus, inquo inde major naturæ lucta pauciorem diætam requirit, ne planè lapsus virium propter brevitatem morbi sit metuendus; in Chronicis autem respectivè liberalior potest esse diæta, ut ad diuturnitatem morbi ferendam vires sufficiant. Nihil autem poterit nutriendo conservare vires, quàm quod in ventriculo & primis viis alteratum, ac individui proprio specifico charactere insignitum est: Quo enim in quibusvis morbis vis digestiva vegetior est, & Appetitus constat, eò liberalior concedenda diæta; quo minor, eo parcior.

Dividitur autem omnis diæta in *tenuem*, *crassam*, & *mediocrem*. *Tenuis* est; quæ viribus simpliciter conservandis non sufficit, sed nonnihil viribus tantùm succurrit, utut eædem non sufficientes in eadem mensura permaneant: *Crassa*, quæ vires conservat & auget: *Mediocris*, quando conservantur in eo statu, in quo sunt. Tenuis locum habet in Acutis, & instituitur jusculis reficientibus; Crassa in Chronicis, quæ jusculis ova sorbilia, aliaque insuper solida jungit; Mediocris medio se habet modo.

Circumstantiæ autem determinant ægri vires, & in specie virtutem stomachi digestivam, ut & ea, quæ optimè conveniunt; saltem quoad cibandi tempus, notandum, tempus paroxysmorum vitandum esse: vid. *HIPPOCRATES Sect. I. Aphor.* 8. 11. & 19. *LIDDELIUS de Febribus pag.* 104. Conducit enim, uti in iis morbis, qui per paroxysmos suas exacerbationes habent, ut in & ante paroxysmum ventriculus, & primæ viæ sint liberæ, quia natura in opere secretorio hoc modo turbatur; nisi virium lapsus urgeat, quo in casu vires potu Analeptico sunt sulciendæ & reficiendæ. Confer. *VALLESIUS Methodo Medendi l.* 1. *cap.* 9, & *ZACUTUS LUSITANUS l.* 4. *Prax. Histor. cap.* 8. Primò enim in paroxysmo urget lucta naturæ cum causa morbifica, quæ, ne avertatur vel impediatur, libera sit. Secundo, quoniam ordinariè digestio prima procedit sufficienter, sed assumpta potius tunc degenerant. Si tamen vires hoc urgeant, eæ potu generosiori, vel jusculo blando temperante reficiendæ, ne alimentis gravetur ventriculus, aut irritetur natura. Post paroxysmum autem aliquot horis remedia diætetica sunt administranda. Nunquam verò, ut à mulierculis imprudentioribus fieri solet, ad alimenta assumenda ægri cogantur, utpote quibus Appetitus loco regulæ est: ita quidem, ut ab assumptis plus lædantur, & minus refocillentur, ac ii, qui alias Appetitui intempestivè indulgentes plus ciborum assumpserant.

Dein præstat, ut quoque vigilet æger sub paroxysmo, quia tunc ~ sunt vegetiores & impetuosiores, quorum motus in somno est imbecillior: ut taceam, in quibusdam casibus, v.g. hypochondriacis & hystericis passionibus, somnolentiam non esse veram, sed modo imaginariam, ut ea sæpe lypothymiæ imminentis signum esse soleant.

Quoad selectum alimentorum, respiciendum, quantum possibile, ut alimenta simul sint alterantia, & ventriculo amica. Quoad prius, sic & conservare vires, & causam morbificam unà operâ corrigere possumus. Et hoc ipso rejicio multiplicitatem alimentorum, quo nihil nocentiùs, si modo hoc, modo illud gustandum ingeratur, in quo casu mulierculæ, sed pessimo consilio, adeò curiosæ sunt: Quo enim simplicior Victus, eò facilius digeritur, minori ventriculi molestiâ, & nullo symptomatum supervenientium metu; sicut econtrà multiplicia alimenta digestionem & crasin alimentorum perturbant. Quæ amica ventriculo sunt, Appetitus, ejus internuncius, indicat. Equidem interdum etiam idem hostilia & nociva appetit, quare distinguendum inter id, quod intensiùs urget, ac inter id, ad quod Phantasia qualicumque modo indicat. Appetitus verus & intensior non debet rejici; natura enim subinde de remedio sibi ipsi prospicit, quod exhibitum optimè sæpè digeritur; imaginarius verò, qui ex phantasiæ dictamine & ludibrio oritur, meritò rejicitur. Prioris ratio in intermittentibus febribus sæpè est obvia, hinc quidam brassicâ fermentatâ, alius se halecibus, curavit.

His in genere præmissis, paucis adhuc considerandum restat, quomodo Sanitas secundum ætatum diversitatem conservetur, & morbi præcaveantur. Et quidem primo *Infantes* quod attinet, quorum sanguis semilacteus instar recentis musti moderatè fermentat, & hinc facilè alterari & vitiari potest, *Sanitas* eorum *optimè conservari* potest, modò impediatur lactis coagulum, vel ejus sub digestione depravatio; insignis enim infantilium affectuum diversitas utplurimum non nisi ex vitiato lactis coagulo, indeque oriundo muco impensè acido & pontico, originem ducunt: Id quod Excreta inde per alvum viridia seu porracea & æruginosa, quasi grumosa, wie gehackte Eyer / & quam plurimi morbi alii, sufficienter declarant. Hæc enim ut plurimum Acidum spirant, vel alio peregrino charactere insignita sunt; sicut etiam infantes præter tormina sæpè corripiuntur epilepsiâ, flatibus, inflatione præcordiorum, convulsionibus, pustulis, achoribus, favis, morbillis, variolis, atrophia, &c.

Omnium horum origo ex triplici fonte derivandus est:

1. Fons est *retentio Meconii*
2. *Corruptio lactis*
3. *Vitia Pultis.*

Hæc facilè inferunt Cruditatem acidam & viscidam, ex qua, tanquam causa, omnes eorum morbi oriuntur.

Quoad I. *Retentio Meconii* vel excrementa nigrovirescentia retenta, ordinariò infantes disponunt ad epilepsiam: ergo eliminetur.

Quoad II. *Lac corrumpitur* facilè coagulando, grumescit sic incaseum, & acorem vitiosum intensum, vel alium peregrinum characterem, acquirit. Nutricis autem lac naturâ vel sponte vitiosum est, vel vitiosum redditur, quando vel matres aut nutrices vescuntur Acidis vel Veneri indulgent, vel gravioribus animi affectibus percutiuntur, quæ multum nocent; sic enim

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0267-7 DFG

alteratum lac disponitur ad grumescentiam, & tales infantes utplurimum abhorrent caseum: Vel ingens committitur error, quando infanti ordinatè præbetur mamma, & ad omnem ejulatum lac præbeant, dum prius non ritè digestum est, sic unum corrumpit alterum, & in acorem & mucum viscidum degenerat, à quo frequentiores eorum morbi sunt.

Quoad III. *Vitio pultis* labuntur in morbos, dum ordinariò parant eas ex farina cum lacte: ex his oritur puls glutinosa, ein Buchbinder Kleister; unde, accedente lacte acido, non possunt non cruditates viscidæ coacervari in infantibus. Acidum sub cute dat Achores, variolas, &c. idem acidum solet inferre tormina ventris, epilepsiam, & motus convulsivos, vigilias, insomnia molesta, aliaque mala: ad massam sanguineam si deferatur Acidum hoc, oriuntur febres ardentes. Visciditas infert atrophiam, obstructionem alvi, &c. hinc clysteres infantibus prodesse, experientia docet.

Nunc igitur quæritur, quomodo eorum diæta ordinanda? Respondeo: Excrementa sunt excernenda, unde Meconium, quantum possibile est, removendum: cui fini natura ante lac propinat Colostrum, quod est aquosius, ☽sius, & vi absterſivâ saponariâ præditum. Si dant Colostrum, propinetur simul pulpa passularum, ac quod melius est, syrupus de cichorio cum Rhabarbaro: optimè syrupus de spina cervina miscetur cum lapillis cancrorum, coralliis, &c. quæ absorbent Acidum, & sic artificialiter purgatur Meconium. Quod attinet lac, est hoc naturalissimus cibus & succus nutritivus infantum, quod necessariò infantibus lactantibus propinandum, certo tamen ordine. In specie pro medela lactis usurpent mulieres vel nutrices fœniculum & Anisum, & ex his parata medicamenta, vel salia alcalia, quæ lac salubre reddunt, & à corruptione præservant. Imprimis lac proprium matris infanti est propinandum, quod est omnium optimum, quia ex hoc primo concrevit infans, nec sine insigni alteratione alterius lacti adsuescunt: omnis enim mulier habet suum lac, quod infantibus saluberrimum; si verò alia mamma ipsis præbetur, non fit sine insigni corporis alteratione.

Quoad pultem, ejus errata corriguntur, quando loco farinæ sumitur similago, Semmel/ exsiccatur, minutim teritur, ex quibus cum lacte fiat puls. nam ex similagine cum sit panis fermentatus, & facilè digestibilis, salubriores fiunt pultes, quæ facilius digeruntur.

Quod si superveniant morbi ex Acido viscoso, præter remedia anisata, lac corrigentia, usurpentur infantibus etiam terrea alcalina, Acidum absorbentia, & lactis coagulum impedientia, ut lapilli cancrorum; corallia, lac ♀æ, cornu cervi, ♃ diaphoreticum, &c. quæ à morbis præservant; & præ cæteris semen anisi contusum, quod *HEURNIUS* commendat contra coagulationem lactis: sperma quoque ceti à *RANCHINO* ad gt. ix. x & xii in ▽ menthæ, hyssopi, &c. contra Acidum in infantibus mirè commendatur; quia, sicut in casu ab Alto dissolvit & attenuat grumos sanguinis, ita & lac grumosum in primis viis, & mammis nutricum: in graviori Acidi acrimonia crystallus præparata, quæ in horridis torminibus ventris à bile æruginosa optimum remedium est, & in Acido destruendo mira facit. Imprimis in torminibus infantum omnibus præferuntur ☉ia volatilia (non obstante, quod alii periculum metuant) præprimis blandè aromatisata seu oleosa, e. g. sal volatile cornu cervi, urinæ, &c. Hæc inter præ cæteris liquor cornu cervi succinatus, item spiritus salis ammoniaci anisatus tenellis ad duas vel tres guttulas in lacte impensè conducunt, eorumque declinantem sanitatem firmant, à morbis præservant, dum Acidum absorbent, & lactis coagulum impediunt; spiritus enim salis ammoniaci mirè conducit infantibus, penetrat quippe per corpus, & abstergit sordes in corpore, imò in petechialibus morbis, variolis, morbillis, &c. præservationis gratiâ cũ spiritibus volatilibus cornu cervi vel sanguinis humani miscetur. Volatilia ejusmodi in lacte propinari possunt, quod acrimoniam & fœtorem obtundit. Hæc etiam intelligenda sunt de infantibus grandioribus, qui usque ad 12. annum pervenerunt. Post ablactationem verò habenda imprimis est ratio Addſphagiæ seu nimiæ Voracitatis, cujus occasione ob cruditatem acidam generatur pituita acida viscida, unde plures puerorum morbi dependent, & ad quam ferè semper in iisdem respectus habendus venit.

In Dentitione laxandæ sunt gingivæ. Si etiam adest inflammatio gingivarum, applicentur mucilagines cum aqua sempervivi & spermate ranarum & semine psyllii, cydoniorum, &c. crista galli sanguis pro fortiori extractione prodest; ultimo cerebrum leporis, si illa frustra sint adhibita.

Calor, activum vitæ instrumentum & consequens, consistens in motu celerrimo Acidi volatilis oleosi, gliscit in infantibus; concitatissimè agitatur, & quasi deflagrat, ut in juvenibus; remittit motu, qui partim deficit, partim minus volatilis est, ut in senibus ordinariò tepescentibus. Fundamentum *spiritus influus & insitus* existunt, qui sunt istud naturale Acidum volatile oleosum, cujus motu calor iste, tanquam signum eorum impetus, sequitur: & in hujus naturali conservatione & temperatione, adeoque debita ad corpus habitudine conservanda, occupata est *HYGIENE*. Ergo in ætate accrescente gliscens obruendo alimentis non extinguatur, in ætate consistente in æquabili temperatura conservetur, in decrescente Analogis excitetur.

In Ætate consistente Juvenum & Virorum, dum massa sanguinea instar vini generosi in suo est vigore summaque spirituascentia, blandè, paulò vehementius tamen, effervescit & ebullit, adeoque tunc corpus est in optimo statu, observandum est cautè pro conservanda horum sanitate, ne vel nimias concipiat effervescentias propter ⊖ volatile ebullitionesque, adeoque in periculosos acutos morbos, & febres ardentes malignas, erumpentes, in specie qui vitam agunt actuariam; vel ne citò nimis in suo vigore deficiat ad præmaturam senilem debilitatem, idquè aut per deficientes corporis motus, aut imprimis per intensiones & crebriores circa studia meditationes: In specie ii, qui vitam agunt sedentariam, inclinant in morbos Chronicos, novercam doctorum virorum, malum hypochondriacum, adeoque per consuetum, simul tamen moderatum, rerum naturalium usum æquabilis sanguinis motus & fermentatio conservetur. Unde actuosi vitent

1. Potus nimis generosos, alimenta nimis generosa, pinguia, spirituosa, sulphurea, &c. quæ augent

augent bilem, & massam sanguineam nimis volatilem reddunt.

2. Vitent nimium, primariò animi, secundariò corporis, motus; &
3. Nimiam Venerem, quæ tales admodum pessundat.

Hinc facile patet, qualis diæta conveniat. Quod si autem fiat excessus, potest emendari: in specie *in priori* excessu ferocior ejus impetus, fixioribus sulphureis mineralibus, imprimis nitratis & acidis blandis, refrænandus, spirituumque nimius motus opiatis sistendus, item quies, & somnus interponendus, quæ multa faciunt; *in posteriori* verò defectu spirituosis volatilibus & aromaticis conservandus spirituum vigor, & moderato cautoque Ambratorum usu confortandus est; motum commendatum habeant; quies & somnolentia nimia vitanda: interim etiam volatiliora & acriora alimenta scorbutica, plus minus alimentosa sunt assumenda, aut etiam alia ♁ia volatilia artificialia; sic enim corriguntur vitia, & fermentatio restituitur.

Quoad tandem ætatem decrescentem, *Senes languescentes*, cum eorum sanguis instar vini acescentis, vel ex rancore vappescentis, se habeat, sit effœtus & spiritibus depauperatus, indeque ex acidi abundantia crudisque succus fit crassus, viscidus, aquosus, tardeque mobilis; quæ omnia ex cruditate acida & deficiente stomachi digestione dependent; hinc oriuntur febres lentæ ex lympha acida, affectus systematis nervosi, paralytici, apoplectici, tremor, catarrhorum continuus insultus & inevitabiles læsiones accedunt. In his, pro conservanda vita, (1.) fermentativus sanguinis motus, & hinc ~ sensim deficientes, per generosi spirituosique potus & ciborum, vel condimentorum aromaticorum, moderatum usum sunt restaurandi & excitandi, & aciditas aquea extirpanda; Sic V. generosius mirè convenit, quod rectè à quibusdam lac senum dicitur. Quibus & (2) moderatum gaudium lætitiaque, & vita curis vacua, mandanda; His enim blandissimè conservatur blandus sanguinis motus. (3) Motus mediocris æqualis & blandus ipsis convenit; loco ejus blanda & lenis corporis diaphoresis ad madorem usque per blanda diaphoretica, non fortiora, ne aliàs pauci ~ dissipentur. Conveniunt igitur pro hoc scopo v. g. Rob sambuci, vel juniperi, cum tantillo ~ juniperi, vini, ac ∇æ cujusdam analepticæ, apoplecticæ, aut alia aromatica volatilia ♎ea, blandis alcalibus ditata, imprimis conveniunt: Hæc enim sanguinem tenuem fluidumque reddunt, adeoque promovent motum circulatorium & fermentationem sanguinis, madorem excitant, & cruditates corrigunt, unde & sinapi vel eruca senibus ad præservationem apoplexiæ sunt utilissima. Ubi adest defectus spirituum, præter alimenta accedat simul hîc moderatus atque cautus ambratorum, aliorumque generosorum & spirituosorum usus, quorum virtute fulciantur; non verò ex nimia fusione sanguinis & spirituum repentina dissipatione hi prosternantur, vel ex nimia spirituum agitatione per generosa, & subsequente fixatione narcoticâ, functiones omninò aboleantur: in specie simplex ambræ essentia optimè convenit; alii ætati non convenit, quia habet vim inebriativam, unde primâ fronte spirituum vigorem intendit, sed crebriori abusu stupidos reddit: Testantur hoc ii, qui sæpè eo pro memoria confortanda usi, & stupidi facti sunt; potius ad ~ torpidos immobiles ~ cerasorum, liliorum convallium, &c. cum essentia salviæ, liliorum convallium, cherefolii, &c. spiritus rosarum ambratus aliaque, sed modicè, adhibenda sunt. Contra senum appetitum prostratum ~ intendendo, contra ructus & flatus, tormina, &c. Ambra singulare stomachicum est, senibus decrepitis convenientissimum. Somnus etiam proficuus est. Quando autem non benè possunt dormire, caveant sibi ab opiatis, quia non ferre possunt sine insigni virium prostratione, potiùs post pastum spirituosa volatilia in hoc casu conveniunt, ut ∇ generosum, ∇ apoplectica, ∇ elixyr vitæ, &c. quæ promovent digestionem, & ad somnum blandum disponunt.

PARS THERAPEVTICA.

CVI

Propter Materiæ similitudinem & evitandas repetitiones, harmonicè connexum est

COLLEGIUM THERAPEVTICUM,

brevi ante obitum B. Autoris habitum.

CAPUT. I.

DE

METHODO MEDENDI IN GENERE.

ET ita quidem Sanitatem conservandi, & morbos præcavendi, rationem docet Hygiene; legitimam verò curandi morbos rationem, cum inventione selectæ materiæ Medicæ, & hujus præscribendis optimis Formulis, docet Pars *Therapevtica*, Latine Curatrix, quæ primaria Medicinæ pars est; tractat scilicet de Mediis, mediantibus quibus Medicus finē suū in subjecto assequitur, dū legitimâ agendorum notitiâ seu Methodo Medendi instructus, salubriter ægris prospicit. Tribus Capitibus absolvitur:

1. Generali Methodo Medendi,
2. Speciali causarū & symptomatū Curatione; &
3. debitâ Prognosi, qua cognoscat Medicus, an possit sanitatem restituere, nec ne?

Curat autem Medicus, dum ritè novit medicamenta & eorum applicationem pro curandis morbis. *Notitia hæc curandi* per medicamenta & eorum applicationem vulgo *Medendi Methodus vocari solet*, & innuit artem, cujus ope Medicus auxilia invenit, eaq; legitimè applicat pro sanandis morbis. Revera autem *Methodus* hæc *Medendi consistit in judicio Medici Practico, fundato super judicium ejus Theoreticum*, i. e. in accurata evolutione Causarum morbificarum, & inventione causatorum seu effectuum morbosorum, ac dein quoque artificiosa applicatione mediorum ad causas evolutas; pro tollendis morbis & obtinendo fine, nempe Sanitate. Theoreticū in Pathologo viget, Practicum verò in Therapevta. Judicium verò hoc

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0269-1 DFG